



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

20. Alia de eadem aqua benedicta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

458 Cap. XL. Vigesima prima morb. cauſſ. varia opera pietatis.
mortem. Ad quem ingressus honorificè à rege suscep̄tus, & humiliter
exoratus, ut sanaret filium suum, aquā, cui benedixit, aperfit junenō,
& intuens in eum, ait: Confide, fili, non morieris, hac vice. Dixit hoc,
& die sequenti secundūm dictum Prophetæ, secuta est sanitas, sani-
tatem latitia Patrio, clamor & strepitus totius exultantis familie.
Et pertransiens Scotiam, in ipso introitu Anglia diuertit ad Ecclesiam
Gisburnensem, ubi habitant viri religiosi, canonicam ducentes vitam,
ab antiquo familiares ei pro sua religiositate. Ibi adducta est ad eum
mulier patiens morbum, quem Cancrum vulgo appellant, ipso horren-
dum visu, & sanauit eam. Nam ubi aquā, cui benedixit, aperfa
sunt ulcerum loca, dolorem non sensit. Die verò sequenti vix ulcera
apparebant.

XX. Paria scribit S. Gregorius Turonensis de S. Quintiano Ar-
S. Greg. Tur. uernensi Episcopo, Hortensium senatorij Ordinis virum, cum
in vit. S. omni domo sua, ob superbam calumniam, maledicente; nam
Quintiani. cùm omnes febri coriperentur, Hortensiusque ipse sibi metue-
ret, veniam supplex petivit. Quam ille breuiſſimè indulgens, bene-
dictam aquam domui transmisit: illaq; per parietes reffersa. omnis agri-
tudo protinus est depulsa, ac magna ibi virtus apparuit: nam &, qui
morbum incurrerant, sanati sunt: & quis sanati erant, ultra non in-
currerunt. Paria refert D. Gregorius de S. Fortunato à quodam
dial. c. 10 Ba- Gotho duos pueros abductos repetente; qui quia reddere eos re-
ron. Tom. 7. cusauit, lapso equo coxam bis fregit. Itaque iectus sapiens pue-
An. 537. II. reros reddidit, diacono dicens: Vade, & die Domino meo Episcopo:
Quia maledixisti mihi, ecce percussus sum: Sed pueros, quos quesisti,
recipe, & pro me, rogo, intercede. Suscep̄tos itaq; puerulos Diaconus
ad Episcopum reduxit, cui benedictam aquam venerabilis Fortunatus
statim dedit, dicens: Vade citius, & eam super jacentis corpus proice.
Perrexit itaq; Diaconus, atque ad Gothum introgressus, benedictam
aquam super membra illius aperfit. Res mira, & vehementer stupen-
da! mox ut aqua benedicta Gothi coxam contigit, ita omnis fractura
solidata est, & saluti pristina coxa restituta, ut horā eādem de lecto sur-
geret, & ascenso equo ita cōceptum iter agere, ac si nullam umquam
lesionem corporis pertulisset. Factumq; est, ut qui sancto viro Fortu-
nato pueros cum pretio reddere obedientia subjectui noluit, eos sine pre-
Ven. Bedal. 5. tio poena subactus donaret. Paria tradit Venerabilis Beda de B.
Ioanne

Ioanne Episcopo Eboracense, qui Comitis cuiusdam vxorem
grauissimo morbo liberauit, missā aquā benedictā, quam in de- hist. Engl.
dicationem Ecclesię consecrauerat, eamq; jusserat ab egra gusta- c. 4. An. Dom.
ri, nec non, ubi dolor vehementissimē sanguinebat, eadēm aqua 72.

Iauari decubentem. Quo facto, femina illicē integris viribus
surrexit. Paria memorat Petrus Damiani de S. Odilone Abbate Petr. Dam. in
Cluniacensi, qui Gerardum puerum lunaticum, magno sēpe im- vita S. Odile-
petu humili cadentem, & instar mortui jacentem, porrecta aqua nis. An. Dom.
benedicta, protinus persanauit. Paria testatur Edinerus de S. Edin. Engl.
Anselmo Cantuariensi ArchiEpiscopo, qui impresso signo crucis, l. 2. vit. S. An-
& aqua sacra super oculos cæci aspersa, eum illuminauit. Eius- selmi. Ann.
dem generis, in vitiis Sanctorum innumera sunt, quæ enumerare 1048.
velle, est velle Nilum exhaustire. 1106.

Hæc autem ipsa satis multa libuit, è probatis Authoribus XXI.
afferre, non solū ad cætitatem ex oculis hæreticorum amo-
uendam, sed etiam ad ipsos Catholicos excitandos, ut tam anti-
quum, & non solū animæ, sed ipsi etiam corpori salutarem
Ecclesiæ ritum, sua negligentia non sinant abrogari; sed maio-
rum suorum laudabili more, singulis diebus Dominicis, aquam
è templo lustralem secum domum referant, ad egressum cubiculi,
& hypocastri suspendant, eaque aspersa, se se contra omnes dia-
boli insidias muniant, & dum in vasculum illius digitum intin-
gunt, putent se cum S. Thoma digitum in vulnera Christi, manum
in latus Saluatoris immittere, & diuino sanguine petant, iam
hanc, iam illam sibi negligentiam, culpamq; ablui. Ut verò
aqua benedicta valida est contra dæmones, & maleficia, ita &
prodest benedictio salis, panis, vini, olei, cereorum, herbarum,
palmarum, &c. mera enim sunt remedia ista spiritualia, etiam
corporis utilia incolumenti. *Quia omnis creatura DEI sanctifi-* 1. Tim. 4. 4.
catur, per verbum DEI & orationem. Hinc & illæ cere, quas
Agnos DEI vocant, certis temporibus à summo Pontifice conse-
cratos; reliquiæ Sanctorum, symbolum Apostolorum, initium
Euangelij S. Ioannis, similiaq; sacra amuleta, ab Ecclesia usur-
pari solita, omni falsitate, vanitate, & superstitione carentia,
non debent in desuetudinem deuenire. Profani sunt, qui sacra
negligunt; impij, qui contemnunt. Exempla passim occurunt.